UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.D. Iacobi Marchantii Vitis Florigera

Marchantius, Jacobus

Coloniae Agrippinae, 1661

6. De invocatione SS. Pontif seu Episcop. qui in Patronos sunt electi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-56381

Visual Library

rentius.

Coſmas & Damianus.

eripere vel tutari. Innocentur & inclyti illi Martyres, SS. Coſmas & Damianus, vt qui nobiles Medici fuere in terris, iam ſint nobis Medici de cælis in hac ægritudine immedicabili humana arte:

S. Euſtach.

S. Euſtachius etiam piè hic invocandus, cui cum apparuiſſet Dominus mox à converſione, dixit ſe velle eum inſtar Iob probare, & Orbi vniverſo in exemplar patientiæ & portentum calamitatis exhibere. Cùm igitur rebus omnibus eius familia illuſtris foret & copioſa: repentè eam inuadit peſtis ſervos & ancillas omnes depaſcens, & totam domum vacuam reddens famulis. Deinde peſtis aggreditur pecora, equos & mulos, boues & oves, exeditque omnes eius greges, ita vt animalium poſſeſſio copioſa funditus interierit. Intellexit autem ipſe cum vxore, hoc eſſe principium & velut proœmium tentationum, ferebantque forti animo hæc omnia: adimplentes illud S. Iacobi: *Omne gaudiū exiſtimate Fratres, quando in varias tentationes incideritis, ſciētes quòd probatio fidei veſtræ, patientiam operatur, patiētia autem opus perfectū habet, vt ſitis perfecti & integri in nullo deficientes.* Hoc autem ſolum petebant ne eos desereret gratia Dei, gratiaque tolerantiæ benignè eos aſpiciens, Ita Surius 1. Novemb.

Iac. 1.

S. Adrianus in Belgio.

In Belgio ſpecialiſſimè invocatur S. Adrianus, qui adeo potens eſt in morbo epidimiæ, vt ad corporis eius ſacrum pignus, quod Gerardimontibus in Hannonia requieſcit, & piè colitur, peregrinaetio ſit celebris. Novimus quoque & teſtari poſſumus parte brachij eius è nobili Lobbiēſi Cœnobio (vbi notabilis pars pretioſè adſervatur) delata in varia loca peſte infecta, mox luem ſedatam fuiſſe, populis cæleſte auxilium agnoſcentibus. Teſtari id poſſunt Montenſes, Dionantenſes, Bellemontenſes, Anderlacenſes, & alij, qui hoc peſtilentiæ morbo adflicti, poſtularant humillimè à Reverendo Præſule & Conventu Religioſo Lobbijs, vt ad illos pretioſum illud pignus deferri permitterent. Quod quidem magno cum fructu factum fuit. Luxenburgenſis quoque Civitas, ſiue Primores illius, paucis abhinc annis afflictiſſimi miſerunt ſpeciali legatione ad Adrianum Gerardimontes, appendentes eius Tholo & ſacræ Aræ ſymbolum ſuæ devotionis Cordis effigiem quamdam auream operoſè & affabrè factam, vt Cordium afflictorum languoribus graviſſimis in civitate ſua ac Provincia ſubvenire ſuo dignaretur patrocinio.

S. Sebaſtianus.

Invocandus denique S. Sebaſtianus, vt qui telis adeo inhumaniter transfixus fuit, iræ divinæ ſagittas à nobis ſuis avertat meritis. Hoc enim ſuâ promeruit paſſione & patientiâ. Notum eſt ex Paulo Diacono lib. 6 & ex alijs Hiſtoricis, quòd Anno Domini 680 menſe Iulio, poſt Lunæ Ecclipſim, peſtis ingens vaſtarit Romam, & nonnullas Italiæ Civitates. Tanta autem morientium erat multitudo, vt parentes cum filijs, fratres cum ſororibus bini per feretra ad ſepulchra ducerentur. Tūc quoque viſibiliter multis apparuerunt Angelus bonus & malus, noctu per ciuitatē pergētes. Ex iuſſu boni Angeli quoties malus Angelus venabulo quod manu gerebat, oſtium cuiuscumq; domus percuſſiſſet, tot de eadem domo die ſubſequenti homines interibant. Per revelationem autem cuidam dictum eſt, peſtem non ceſſaturam, priuſquam in Baſilica S. Petri ad vincula, S. Sebaſtiani Martyris altare erigeretur. Ita factum eſt, & delatis ad Vrbem S. Martyris Reliquijs altarique erecto quievit lues peſtifera.

Quieſcit caput S. Sebaſtiani Epternaci in Ducatu Luxemburgenſi, quod S. Wilibrordus à Sergio Papa diſcedens Roma dono accepit. Illud autem, vt peſtis epidimica graſſari vſpiam incipit, frequēti peregrinatione & concurſu colitur, vt S. Sebaſtiani interventu Chriſtianus populus à periculo liberetur. Quod quidem ob glorioſi Martyris merita elargiri ſolet Deus. Teſtis eſt Brethelius in Hiſtoria Luxemburgenſi.

Ergo & tunc oportuna erit hæc oratio: *S. Sebaſtiane, Martyr inclyte, tuis meritis auerte à plebe tibi deuota ſagittas iræ diuinæ: S. Laurenti intercede pro nobis, vt liberemur ab igne peſtilentiæ: S. Adriane potens apud Deū in noſtra afflictione adiuua nos apud illum pro auertendo morte epidimiæ. Voſq; ô nobiles & illuſtres Medici, SS. Coſma & Damiane, eſtote nobis de cælo Medici pia interceſſione. Omnes Sācti Martyres interuenite pro afflictis, hoc enim apud Deum promeruiſtis veſtro pro eo profuſo ſanguine.*

CAPVT VI.

De Invocatione Sanctorū Pontificū ſeu Epiſcoporum qui inpatronos ſunt electi.

SExtò ſpecialiter hi in auxilium vocandi ſunt qui Patroni ſunt locorum in quibus agimus in quorum honorem Templa & Altaria erecta ſunt, aut quorum ſacris ibidem gaudemus Reliquijs. Hi nempe populum in ſuā protectionem receperunt, contra aduerſa tam corporis quam animi, vt ſub manu & tutela eorum iter arripiant æternitatis. Ergo ſpecialis devotio eis debetur, vt amoliantur à nobis flagella divinæ indignationis, quæ peccatis noſtris in caput noſtrum accerſivimus: & benedictionem nobis impetrent ac defenſionem.

Quòd autē dicimus invocandos eos ſingulariter quorū gaudèmus Reliquiis ſacris, docuit S. Ambroſ. dum lib. de viduis c. 8. dicit: *Obſecrandi ſunt Martyres quorum videmur quodam corporis pignore patrociniū vendicare. Poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine ſi qua habuerunt peccata, lauerunt.* Quod de Martyribus dicit, idem dicimus de alijs Sanctis: Ius enim habemus ſpeciale patrocinij, ſi eorum pignora ſacra corporis & exuuiæ apud nos quieſcant cum honore. Vnde & in flagellis ſolent nobis eſſe auxiliatores oportuni.

Leodienſis Diœceſis tutelares.

Sic meritò in Diœceſi noſtra Leodienſi invocantur ſpecialiter. S. Lambertus, S. Hubertus. S. Servatius, quorum ſacris corporibus gaudet Diœceſis illa, quique ſe ſe ſæpius Tutelares Diuos in flagellis & adverſis exhibuere, & potentes apud Deum Mediatores & Interceſſores.

Sic in oppido noſtro meritò & quidem ſingu-

lariter invocamus S. Germanum Epiſcopum Pariſienſem, ex Ordine S. Benedicti electum Antiſtitem, qui ex antiquis ſæculis Eccleſiæ noſtræ Patronus eſt deſignatus. Dico meritò & ſingulariter nos eum invocare tempore morbido & contagioſo, quia Deus olim tantam ei gratiam ſanitatis contulit, vt lecti eius ſtramina & paleæ ad ægros delatæ, eos ſanarent ab omni infirmitate. Idem quoque præſtabant epiſtolæ manu eius conſcriptæ, quas vbi ægri devotè oſculabantur, mox ſanitatem & vires recuperabant. Sed hoc ſpeciatim hic rememorandum, quòd cum Medoni propè Pariſios incolæ omnes peſte laborarent, miſſo illuc benedicto pane, mox eos ſanos & incolumes reddidit. Cũ ergò nunc non minus potens ſit in cælis, quam tunc in terris, meritò ad eum recurrunt populi in eius tutelam adſciti contra omnia adverſantia. Quapropter hæc eſt noſtra ad eũ Antiphona quotidiè decantata: O *Germane, Pater bone & Patrone, Te quæſumus locum iſtum protege, defende, & viſita, pro devotis tibi famulis Chriſtum exora.* Cui additur Verſus: *Ora pro nobis Beate Pater Germane, R. Vt digni efficiamur Chriſti promiſſione.* Poſtea hæc ſubſequitur Oratio: *Deus qui conſpicis quia ex nulla noſtra virtute ſubſiſtimus, cõcede propitius, vt interceſſione B. Germani Confeſſoris tui atq; Pontificis contra omnia aduerſa muniamur Per Chriſtũ Dominũ noſtrum.* Idem Patronus colitur ſpeciali cultu Pariſijs, vbi fuit Epiſcopus Auguſtoduni vbi natus fuit & educatus, Montibus Hannoniæ, ac pluribus alijs in locis vbi Eccleſiæ in honorem eius erectæ ſunt,

S. Germanus, diuerſis in locis inuocatur.

Audi etiam ad propoſitum noſtrum de Patronis locorum ſpiritualiter invocandis, quod refert S. Gregorius Turonenſis in vita S. Nicetij. Cùm lues inguinaria Trevericum populum in circuitu civitatis valdè vaſtaret, & Sacerdos Dei Nicetius pro ovibus ſibi commiſſi, Dei miſericordiam aſſiduè imploraret: factus eſt ſonus de nocte magnus, tamquam tonitruum validum ſuper pontem amnis, ita vt putaretur vrbs ipſa abſorberi. Cumque omnis populus exterritus in lectulis reſediſſet læthiferum ſibi opperiens interitum, audita eſt vox vna cæteris clarior dicẽs *Et quid hic, ô ſocii faciemus Ad vnam enim portam Eucharius Sacerdos obſervat: ad alterã Maximinus excubat: in medio verſatur Nicetius. Nihil hic vltrà prævalere poſſumus, niſi ſinamus hanc urbem eorũ tuitioni* Hac audita voce ſtatim morbus quievit, nullusque hoc morbo vltra defunctus eſt. Ita S. Gregor. Turon. Patet igitur quomodò Sanctorum Patronorum præſentiâ & ſacrorum corporum Reliquijs peſtis fuerit depulſa; quia Trevirenſes S. Eucharij, corpore gaudent in vna parte civitatis in altera corpore S. Maximini. Hi fuere Patroni & Tutores in illo peſtilentiæ flagello.

Patroni locorum ſpecialiter invocandi.

Sic & S. Remigius ſe verè Tutelarum divum, ac Patrem peramandum & colendum Rhemenſibùs exhibuit, dum eius Palla circumgeſtata peſtem depulit ab eorum finibus. Rem curſus ſic enarrat idem S. Gregorius Turonenſis de gloria Confeſſ. c. 79. *Cum lues inguinaria populum primæ Germaniæ devaſtaret, & omnes terrerentur huius cladis auditu concurrit populus Rhemenſis ad S. Remigii ſepulchrũ pro remedio. Accenſis cereis per totam noctem, excubat in Pſalmis & Hymnis. Mane facto, inſtinctu divino aſſumunt Pallam de Beati ſepulchro, & componunt in modum feretri, accenſiſq; ſuper crucces cereis dant voces in Canticis, circumeunt Vrbem cum vicis nec prætereunt vllum hoſpitium, quod non hâc circuitione concludant. Non poſt multos dies, huius ciuitatis fines aggreditur lues. Verùm locum accedens quò Beati pignus acceſſit, ac ſi conſtitutũ cerneret terminũ, intrò ingredi non modò non eſt auſa, ſed etiã quæ in principio pervaſerat, huius virtutis repulſu reliquit* Hæc S. Gregor. Turon. Vide Surium 13. Ianuarij ex Hincmaro Scriptore vitæ S. Remigij.

S. Remigius Rhenenſem populum ſervavit.

Addendum & hic de mira virtute, & continuò quaſi miraculo S. Eligij Patroni ſpecialis apud Bethunienſes in Belgio in præſervandis ſuis à peſtilentia. Ibi Sodalitas quædam eſt (quam vocant *Charitatem S. Eligii* ab auctore) qua nihil laudabilius, nihilque Reipublicæ eſt ſalutarius, vacans funeribus efferendis. Per illam fit vt nemo cuiuslibet cõditionis ſupremo funeris & ſepulchri honore careat. Auctor eſt vel ſuaſor huius Sodalitij B. Eligius, antiquus Flandrorum Apoſtolus, qui anno milleſimo centeſimo octuageſimo octavo eodem temporis & horæ articulo duobus Fabris feriarijs vni Bethuniæ, alteri Beuriaci (locus eſt diſtans plus mille paſſuum) ſub noctem apparuit; & vt cereum illum toto Belgio memoratiſſimum, qui etiamnum ad ſacra accenditur, & non diminuitur, efformarent, admonuit. Quam rem cùm Prior Monaſterij S. Proiecti in ſuburbijs Bethunienſibus, vir ſanctitatis ſingularis, cognoviſſet: factâ diligenti inquiſitione, ſuaſor fuit vt eiuſmodi Sodalitium pietatis Chriſtianæ in defunctos inſtitueretur. Ad cuius legitimam adminiſtrationem quotannis viginti vnus viri ex honeſtiſſimo civiũ ordine diliguntur, qui communibus ſuffragijs Præpoſitum & quatuor viros creant, quos Maiores nominant, qui ſe Duces præbeant, & cæteros ſubſequi iubeant in ædes quaslibet ad exportanda cadavera quolibet morbo etiam peſtilentiæ extincta, modò in Sodalitatem nomina dederint, & intra ſtatos limites vrbis mortui deprehendantur. Et annis propè quadringentis compertum eſt, nihil contagionis contraxiſſe, qui tam pium opus charitatis exercuere. Quod quidem beneficium Bethunienſes, tum Dei clementiæ, tum aſſiduè B. Eligij Tutelaris Divi interceſſioni adſcribunt. Hæc ex Archivis Bethunienſibus referunt paſſim Hiſtorici Belgici.

Bethunienſes à S. Eligio à peſte præſervati.